

SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>

joannescarolusrossi@fastwebnet.it

luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

ERASMI ADAGIVM

quod ante diem XIV Kalendas Januarias anno MMXIV
exponentur

602. I, VII, 2. Duabus sedere sellis

Duabus sedere sellis¹ est incertarum esse partium et ancipiti fide, ambabus satisfacere velle. Quo verbo nove composito ἀλλοπρόσᾶλλον Homerus appellat Martem, id est nunc his, nunc illis partibus faventem. Macrobius in Saturnalibus coenis: Laberius mimus in senatum a Caesare lectus, cum a Cicerone *ad consessum non reciperetur dicente: "Reciperem te, nisi anguste sederemus"*, nimis mordaciter respondit: *"Atqui solebas duabus sellis sedere!, objiciens tanto viro lubricum fidei. Sed id, quod Cicero dixit "nisi anguste sederemus" scomma erat in Caesarem, qui in senatum passim tam multos admittebat, ut eos quattuordecim gradus capere non possent"*. Hactenus Macrobius². Est autem omnium consensu turpissimum cum utraque parte colludere. At Solon legem tulit, qua punirentur hi, qui in civitatis tumultu neutri partium adhaesissent.

1 **Sella**, ae a sedendo, est supellex ad sedendum apta. Varia fuere sellarum genera: curulis, gestatoria, pertusa (cfr. Cato I,57,11), familiarica; apud Vegetium adhibetur pro ephippio. Sellaria sunt jumenta, quibus insidere licet, sellariae meretrices quae sedentes emptores alliciunt. Sellularii sunt opifices qui sedentes opus faciunt, velut aurifices, sutores, qui, ut ait Livius, militiae minime sunt apti. Respondet italico "sedentario".

2 Macr. Sat., 7 3 8